



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Gangulphus C. 11. Maii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**



LAODICIUS carceris custos iterū tribunali sistendam non agnosceret, ejusque fugam luere ferro pararet, revocatum à scelere GLYCERIA Christo asseruit, sponte deinde manus pedesque iis vinculis astringentem, quæ virgo tulerat. Et ille quidem securi addictus ad cælum per compendium abiit. GLYCERIA Diis hominibusque victis, etiam belluas triumphavit. Stetit inter leones agna, neque exhorruit contubernium. Iphis ad eò feris tradidit mores suos, & genuinam rabiem cicuravit; vix cum voce de cælo lapsâ excedere circo victrix juberetur, moriunculam à leonâ impetravit, quæ animæ viam faceret. E corpore oleum fluxit, ne athleticis pro innocentia pugnaturis ceroma deesset. *Ex Surio.*

*Spiritus subjectam carnem disciplinae freno coercet, & ad supernam Hierusalem quotidie ferventis desiderii gradibus festinet. Promissa castitati premia incessanter aspiciat, quorum dulcedine provocatus, quidquid verusitiam callidi insidiatoris opponitur, libero fidei pedes transcendat. S. Pet. Dam. ep. 7. c. 24.*

## S. GANGULPHUS C. II. Maii.

GANGVLPHO Dynastæ Burgundo corporis, animi, quæque fortunæ propriè imputamus, bonis felicissimo, nihilominus cum malorum omnium extremo malâ uxore conflictandum fuit. Ea præter cæteram morum perversitatem etiam fedis amoribus indulsit, quos denique fons prodidit, & hoc & aliis prodigiis illustris. GANGVLPHO in Campaniâ prandenti simplicissima ad speciem quæstio excidit, quanti fontanam, cui assidebat, hospes æstimaret; sibi enim opidò allubescere. hospes delirium interpretatus, pretium tamen statuit.



statuit. GANGVLPHVS aquam, quanti indicata erat, emit, & se dat in viam; fons, inaudito miraculo, eum sequitur, & Varennis, ubi domicilium habebat, novo ortu erumpit, seridò jam damnante mercimonium suum Campano. Ex hoc ergo fonte calculum levare GANGVLPHVS uxorem iussit, absoluturus eam, si id impunè fecisset. Accipit conditionem cum risu adultera; sed brachium velut ex Vulcani ollâ fœdè ustulatum retulit; nullo tamen, præter divortium, incommodo affecta, ad ingenium rediit, & denique adulterio paricidium conjunxit. Id ubi amator illius (prò pudor! Clericus erat) perpetratum ad prostibulum retulit, infelicem animam cum alvo dejecit. GANGVLPHVM miracula Divis exæquarunt; quæ cum adultera traduceret, infami per omnem vitam supplicio est exercita, quod prodere verecundiores, quàm illa fuit, literæ erubescunt. *Ex Surio.*

*Mentiri & jurare lingua tua prorsus ignoret, tantusque in te sit veri amor, ut quidquid dixeris, juratum putes. De quo Salvator ad discipulos ait, Non jurate omnino: Sit autem sermo vester Est Est, Non Non; quod autè his abundantius est, à malo est. S. Hieron. ep. 14.*

S. PANCRATIUS M. 12. Maii.

**N**ON omnes seridò sapere Phryges, PANCRATIUS ipse quoque Phryx ostendet. Quatuordecim non amplius natus annos vitã quàm Christum maluit perdere, quæ quidem summa est sapientia. Principe familiâ, Cledonio patre ortus, eoque mortuo, Dionysio patruo in tutelam commendatus Romam cum eo commigravit, quo tempore Diocletianus, Christiani sanguinis gurges,